



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 23. S. Joannicius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

Sæculum IX, Imperator quoque in hanc sententiam
A. C. 844. concessisset, non nulli Episcopi & Abba-
 tes proprii iudicii tenaces depositi & re-
 legati; quod schisma non parum auxit.

§. XXIII.

S. Joannicius.

vit. ap. Sur. **S**anctus Joannicius a longo jam tempo-
4. Nov. to.6. re Anachoreta virtute & miraculis
p. 67. clarissimus natus erat Marycati Bithyniæ
 oppido prope Apolloniadem anno Leo-
 nis Constantini Copronymi filii decimo
 quarto seu anno reparatæ Salutis septin-
 gentesimo sexagesimo quinto parentibus
 valde egenis, unde puero porcorum cu-
 stodia commissa. Grandior militiæ no-
 men dedit, & in Hæresim Iconoclastarum
 lapsus est; sed Constantino & Irene im-
 perantibus hortatu Anachoretæ cujus-
 dam ad Ecclesiam Catholicam reversus,
 sex annos exegit jejunans, orans, & in
 nuda humo cubans, quin tamen ideo mi-
 litæ valediceret, nam Imperatoris Præ-
 torianis adscriptus erat. Tandem post
 expeditionem in Bulgaros susceptam, in
 qua eximia dederat fortitudinis specimi-
 na, mundum reliquit, litteras legere di-
 dicit, & exinde in tribus Monasteriis di-
 versatus est. Postea solus ad montem
 Olympum in Bithynia se recepit, ubi
 postquam aliquot annos sine tecto transe-
 gisset,

gisset, in horrida caverna solo pane & aqua victitans, se inclusit. Sæculum IX.
A. C. 844.

Duodecim annis procul ab omni hominum societate exactis Joannicius Monasterium *Erusti* ingressus habitum induit. Prophetiæ Dono præditus erat, & multa ab eo patrata miracula referuntur. Fama Viri Sancti ad extremas Imperii provincias pervasit, ejusdemque maxima existimatio & auctoritas Catholicos tempore, quo Leo Armenus & Michael Balbus Ecclesiam persecuti sunt, plurimum juvit. Pace Ecclesiæ reddita, & Theodora Imperatrice ad clavum Imperii sedente, Joannicius in ultima senectute in parva cella Monasterii montis Antidis se abdidit.

§. XXIV.

Fœdera cum Bulgaris.

Theodora Imperatrix fœderibus, cum Bogori Bulgarorum Principe prius Bogori confirmatis sororem ei reddidit suam, captivam, petiitque vicissim reddi sibi Monachum, cognomento *Cupbaram*, diu ante a Bulgaris captum. Bogoris vero soror, in Regia Constantino-politana captiva, Religionem Christianam sincere amplexa, litteras quoque didicerat, atque veræ fidei, in qua solide fuerat erudita, nihil præferebat. In patriam ergo reversa fratrem hortari non cessavit. Post. Theo. l. 4. n. 13.

Hist. Eccles. Tom. XI.

Dd

cessa-